

Dissertatio inauguralis physico-medica de lapidibus Judaicis / quam ... sub umbra G.D. Coschwitz ... submittet ... P.C. Wagner.

Contributors

Wagner, Peter Christian, 1703-1764.
Coschwitz, Georg Daniel.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magd : Typis Joh. Christian. Hilligeri, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d2dajmef>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

15784/B

N. IX c

18

Geering - Basle
17/11/10

£4

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA
DE

LAPIDIBUS JUDAICIS,

QUAM
SUMMI NUMINIS TUTELA

ET
ALMÆ FACULTATIS MEDICÆ GRATIOSO CONSENSU
SUB UMBRA

DNI. GEORGII, DANIEL COSCHWITZI,

MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ACADEM. FRIDERICIANA
PROF. PUBL. ORDIN. ET POTENTISS. BORUSS. REGIS IN COMI-
TATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS.
PHYSICI MERITISSIMI, ACAD. CÆsar. LEOPOLD.
N. C. COLLEGE LONGE DIGNISSIMI,

PATRONI, EVERGETÆ, PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS
ÆTERNO HONORIS CULTU DEVENERANDI

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMIS IN ARTE SALUTARI HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS RITE CAPESSENDIS

HORIS LOCOQUE CONSUEVIS

Anno cl. lccc xxiv. d. DE EMB.

Publicæ Eruditorum ventilationi submitter

AUCTOR RESPONSURUS.

PETRUS CHRISTIANUS WAGNER

CURIA VARISCUS.

HALÆ MAGD. Typis IOH. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad. Typ.

VIRIS

PER INLUSTRIBUS

GENEROSISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DNO. GEORGIO Schrenfried
à NAUENDORFF,

SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGICO-
BARUTHINI INTIMO EIDEM ET PRIMARIO STATUS
ADMINISTRO,

SERENISSIMÆ MARCHIONISSÆ SUMMO
REI DOMESTICÆ CURATORI,

PRÆMINENTI PROVINCiarUM DIRECTORI, EXARCHO
DISTRICTUS ET URBIS CURIÆ ETC. UT ET ILLUSTRISSIMI
ORDINIS TORQUATI A SINCERITATE NOMEN HA-
BENTIS, EQUITI ETC. ETC.

NEC NON

DNO. HENRICO GUILIELMO
DE STEUBEN,

REGIÆ CELSITUD. CAROLI DANIÆ ET NORWE-
GIÆ PRINCIPIS HÆREDITARIÆ AULÆ MARE-
SCHALLO ETC. ETC.

DOMINIS ET MECAENATIBUS SUIS
GRATIOSISSIMIS SACRUM
ESSE VOLUIT.

AUTHOR.

Unable to display this page

Unable to display this page

stans, non statim singulari cum observantia vel tanti
Viri recordetur, vel Helvetiam, præruptis quamvis pe-
tris terribilem, cunctarum fere rerum naturalium
Confluxum ac Amphitheatrum pronunciet; ut alios
in hac parte præclarissimos Viros quam plures taceam.
Non itaque vitio vertatis VIRI PERILLUSTRES GENE-
ROSISSIMI mihi, quod ego, studio Medico consecra-
tus horas quasdam recreationi dicatas rebus naturali-
bus perspiciendis dederim, hoc enim studium, quod
Ipsimet optime nostis, paucis exceptis, unice fere
Medicis tanquam Physicis excolendum relictum est:
Nec irascamini, sed potius ignoscatis quæso MAXI-
MORUM PRINCIPUM SIDERA FULGENTISSIMA, me,
hominem a Splendore vestro longe remotissimum te-
merario sane ausu propius ad Vos accedere, summa-
que vestra negotia paulisper interrumpere conari,
cum ipsa sidera altiori loco posita infima respiciant.
Neque habeo, quod dubitem, quin veniam sim impe-
traturus, cum utriusque Vestrum excellens Eruditio,
eximius studiorum Amor, & plane singularis Beni-
gnitas, qua omnes bonos artiumque studiosos di-
gnari consuevistis, multis jam abhinc annis mihi inno-
tuerit. Vir namque Eruditione præstans, quo etiam
loco sit positus, studiis invidere nequit. Compareo

itaque VIRI PERILLUSTRES GENEROSISSIMI, non
Panegyricum vobis scribendi causa, quod Opus esset
omnium suffragio humeris meis impar, & tenuita-
tem ingenii mei plane superaret, studia Meritaque
vestra quibusdam tantummodo encomiis efferre vel-
le; sed venio MECÆNATES GRATIOSISSIMI, studio-
rum Academicorum res naturales concernentium
primitias quales quales sint, Vobis humillime offeren-
di vestrumque Patrocinium gravissimumque Favo-
rem implorandi ergo. Absoluto enim Academico-
rum studiorum cursu in Patriam revertenti mihi, Pra-
xinque Medicam exercere volenti cum in animo
quoque sit, horis subsecivis in Patriæ res naturales tam
sub-quam supraterraneas inquirere, ne illotis, ut ajunt,
manibus arduum tale Opus aggrederer, aut omnium
Mecænatum Patronorumque Consilio auxiliove de-
stitutus amplissimum huncce campum ingrederer, TE
præprimis ILLUSTRISSE NAUENDORFFI, PRO-
PRINCEPS GRATIOSISSE, adire, Tuumque Patroci-
nium Favoremque summum mihi quam humiliter
ex petere volui. Absque Mecænatibus & Patronis
liquidem solo ausu parum quis proficiet, hinc merito
Wolfartus in Historiæ Naturalis Hassiæ inferioris P. I.
de Serenissimi Principis sui Landgraffii Hassiæ singu-
lari

lari Gratia gloriatur, & Scheuchzerus in Præloquio Speciminis Lithographiæ Helveticæ amplissimi Senatus Tigurini in hac parte curam studiorumque suorum promotionem, nec non Luidius in Ichnographia Lithophylacii Britannici quorundam Cambriæ Nobilium munificentiam maximis extollunt laudibus. Enim vero non solum dulce & decorum est Patriæ inservire, sed dulce & decorum quoque est Patriæ rimari divitias; quid enim quæso dulcius, quid jucundius, quam Patriæ absconditos olim thesauros à Summo omnium rerum Moderatore benignissime ipsi concessos in apricum protractos videre? quid utilius, quam Incolas legitimum horum usum docere? Firmissime itaque persuasus sum, me spe mea haud defraudatum iri, quum rara Tua Munificentia non minus inter omnes sit notissima, quam antea jam Gratiam Tuam in Fratrem meum Consulem uberrime effundere benignissime TIBI placuerit. Deinde etiam TIBI PERILLUSTRIS MARESCHALLE, DNE. DE STEUBEN, MECÆNAS ad cineres suspiciende, priusquam hanc tuam viciniam delinquam, publice gratias devinctissimas, humillimas pro maximis in me, licet indignissimum, collatis Patrocinii Favorisque signis habere, tumque ulteriorem Patrocinium mihi apprecari volui, firmis.

firmissime confidens, nec TIBI ausus meos displicitu-
ros esse, cum hactenus Ipse in quavis Eruditionis parte
versatissimus studiis meis tanta benignitate favere vo-
lueris, ut non tantum me de rebus Medicis loquentem
sæpius audire, verum quoque quavis occasione data de
rebus naturalibus verba mecum miscere pro eximia
generosæ Tuæ stirpis indole non dedignatus sis. Ac-
cipite itaque MECÆNATES GRAVISSIMI quod Vobis
offerō leve licet adhuc Profectuum Specimen, accipite
in quam serena fronte, accipite bonis avibus, sic non
modo quod opto habebo, sed & imposterum cunctis
allaborabo viribus, ut expectationi vestræ quoquo
potero modo satisfaciam. Favete

VIRI PERILLUSTRES GENE-
ROSISSIMI EXCELLEN-
TISSIMI •

MECÆNATES NUNQVAM SATIS
VENERANDI

VESTRO

*Dabam Halæ Hermund,
d. 30. Decembr. 1724.*

obsequiosissimo

AUTHOR.





Σὺν τῷ Θεῷ.

PROOEMIUM.



Non equidem dubito, fore plerosque, qui perspecto hujus Dissertationis titulo, hoc thema nimis vulgare & pro specimine inaugurali plane incongruum judicent; cum prima fronte mere Physicum & à Medico scopo plane alienum videatur: ast hi, si perpenderit, quantus remediorum farrago undique corrasus in officinis pharmaceuticis prosteret, quantumque Medici intersit, internam quoque remediorum naturam nosse ad legitimum eorum selectum instituendum, facile mihi veniam dabunt, quod lapides inter officinales haud ultimos, verum inter diuretica & lithontriptica Veterum primas fere tenentes non physice solum, sed & medice pertractandos sumserim mihi que proposuerim ex intima & physica illorum consideratione demonstrare, quam inconcinne Pharmacothecas intraverint. Ἐν σκότῳ γὰρ πλίσσων πόδας φάλλει καὶ πλάνη ἔπεται; in tenebris enim quis ambulans pedes offendit & errorem sequitur; & sic haud paucis commendatio Veterum remedii cujusdam in hoc vel illo morbo imposuit, ut sepositis efficacioribus talia diu frustra adhibuerint, & tandem, quamvis nimis sero, damnum

A

ex

ex ignorantia selectus Materiae Medicae resultans experti sint. Veteres namque persuasi Deum O. M. omnibus rebus vim quandam *θεραπευτικήν* indidisse & simul advertentes, remedia eorumque *ἐνέργειαν* maximum fere momentum in *θεραπεία* morborum absolvere, omnem quasi arenam saepius vix eterno adspectu commendabilem in Officinas pharmaceuticas congesserunt, plurimis rebus in triplici regno occurrentibus certas in hoc vel illo morbo facultates tribuentes, sat inbecillibus ut plurimum nixi fundamentis. Praeprimis vero res partis cujusdam humani corporis vel aliam in oculos cadentem figuram praese ferentes arripiebant, ipsisque pro lubitu & signatura, glacie profecto lubricioribus fundamentis, specificam & occultam efficaciam adscribebant in illius partis affectibus, cujus characterem & signaturam sibi finxerant in illis. Idcirco non mirandum, quod lapis ille primo statim adspectu mirabili sua figura prodigiosum quid portendens, Judaicus dictus, hunc etiam censum subierit & ex terrae visceribus ad viscera humana sananda protractus sit. Non solum enim dudum jam ab Aëtio, Dioscoride, Plinio aliisque in numerum rerum medicamentosarum receptus, sed etiam specialiter ob figuram cum calculo renali quodammodo convenientem viis urinariis, calculis aut urina vexatis medendis praefectus fuit. De cujus ortu & constitutione quum apud Aucthores vix certi quid aut saltem per fragmenta proftet, hunc lapidem Speciminis Inauguralis loco movere ipsiusque veram originem & facultatem lithontripticam ad sanæ rationis normam examinare nobis proposuimus. Quibus conatibus Summum Numen, ut divina sua Clementia adsit, viribusque nostris admodum debilibus subsidio veniat, ardentissimis efflagitamus precibus, certi, etiam ex hoc lapide Omnipotentis, qui omnia sapienter ordinavit cujusque sapientia etiam in minimis est maxima, Opera & Judicia potius elucere, quam alius Principii subordinati & otiosius.

CAP. I.

De Lapidibus Judaicis in genere.

§. I.

UT itaque B. L. Lapidis, quem in hac dissertatione *Lapid's Ju-*
pertractare suscepimus, aliquam suppeditemus *dai i de-*
descriptionem, sciendum, quod Lapis Judaicus *scriptio.*
prout in Officinis & apud Materialistas prostat, sit
lapis ut plurimum exterius albescens aut cinereus variis
foepius terræ limosæ vel cretaceæ albæ adhærentibus par-
ticulis, varias agnoscens figuras mox balani sive glandis,
aut ut malunt quidam Olivæ vel nuclei Olivæ, cum vel si-
ne petiolo, & hic iterum est vel lævis, vel striatus, vel tu-
berculosus &c. mox Cylindri circulis stellarumque imagini-
bus ornati, mox Coni detruncati, mox pentagonam ob-
longam commissuris æqualiter distantibus mox alias adhuc
figuras referens, in longum & latum, communissime vero in
obliquum frangens, intus constans ex Materia Selenitica
splendescente coloris albidī, cinerei aut subfusci piceī.

§. II.

Dicitur autem Lapis Judaicus & quidem primo à *Lapid. Ju?*
Dioscoride eam ob rationem, quod olim omnis ex Judæa *Etymologia.*
ad Græcos aliosve gentes translatus fuit, id quod omnes
Authores uno ore fatentur; miror autem de speciali in-
ventionis loco in Judæa altum deprehendi silentium, for-
san autem montis Carmel non procul a mari mediterraneo
in tribu filiorum Affer siti regio horum Lapidum fertilis
est. Id quod hariolari licet inde: reperiuntur in hoc mon-
te famosi isti Melones lapidei, quos Eruditissimus Breyni-
us Gedanensis in *Epist. de his Lapidibus ad Cel. b. D. A.*
derson exarata pro Matricibus Crystalli Marmoreis declara-
vit, & Cornelius de Bruyn in Itinerario, cui titulus; Reyssen
doorklein Asien p. 106. refert, se cum talismodi Melonibus la-
pideis

pideis Olivas quoque accepisse lapideas; notante laudatissimo Breynio l. c. qui simul addit: *sed quisnam istas Olivas Lapides Judaicos vel in lapidum figuratorum historia mediocriter saltem versatus non videt.* Germanice vocantur *Zuden-Steine*, *steinerne Oliven*, consule *Kentmannum in Catal. fossil. fol. 28. b.* habiti enim olim sunt pro Olivis nescio quo miraculo petrefactis; dicuntur quoque *Zuden-Steine* vid. *Langium in Op. P. I. p. 314.* forsan *göldene Steine* propter splendorem.

*Lapid. Jud.
Homonymia.*

§. III.

Præmonendum autem duximus, nos Lapidis Judaici vocem hic sumere sensu latiori pro omnibus istis lapidibus, vel sphæroideis aut balani formibus, sive lævibus, sive striatis, vel conicis, vel cylindraceis, vel aliis quibus cunque fragmentis, omnibus tamen ex materia selenitica constantibus, qui communiter in Officinis Pharmaceuticis vel Materialistarum tabernis mixti sub titulo generali Lapidum Judaicorum asservantur, venduntur. Vulgo enim Glandarius sive *Βαλαναειδής* Dioscoridis saltem officinalis pronunciatur ac pro vero Lapide Judaico habetur, quod ex plurimorum materiae medicae aliorumque Scriptorum scriptis appositisque iconibus elucet: vid. quoque *Gesnerum de Lapidum figuris fol. 128.* & *Clariss. Baierum in Ὁροκτογραφία Norica p. 44.* Nec immerito coniungimus omnes istos superius descriptae figurae lapides, cum non modo iunctim effodiantur, asserventur, vendantur & ex una eademque materia selenitica constent; verum etiam, quod inferius videbimus, una eademque vi medicamentosa polleant, originis infra demonstrandae, licet paululum sint diversae.

§. IV.

Lapid. Judaici Synonymia.

Varia apud varios Authores lapis noster fortitus est nomina, hic etiam non penitus omittenda: Sicuti enim, uti §. II. audivimus, a *Dioscoride* aliisque *Ισδαμὸς* appellatus fuit, ita *Αετὶο συριακὸς* audit a loco quoque natali, a quo olim proficiscebatur, nam Terra sancta seu Iudaea una ex partibus veteris Syriae vel Assyriae fuit & moderno-

Unable to display this page

Unable to display this page

cucumeris minori tuberculoso habent) cylindroides, aut Aculei dicuntur, quoniam eos esse Radios seu Aculeos Echinorum marinorum petrificatos, suspicatus est. Arabice tandem dicuntur, Hager alieudi & Agiar aliheud teste Hoffmanno; Müller von Læwenstein vero vocat Halliendi, quæ vocabula, quid significant, Arabicæ linguæ gnari videant.

§. V.

Invenitur autem lapis hic hodiernum non tantum *Lap. di. Ju-* in Palæstina, a quo denominatio venit, verum etiam in *d. icil. us* Silesia, vid. *Schwenckfeld. L. III. de fossilibus Silesiacis p. natalis va-* 382. in Saxonia inferiore prope Hildeshemium, vid. *En-* *celium de re metallica p. 213.* in Marchia antiqua ad osti- *rius.* um Tangræ & ad litora Albis testantibus viris celeberrimis *Valentino & Hoffmanno*; in Saxonia superiore prope Jenam in monte der Steiger, notante *Schüttee in 'Ορυκτο-* *γραφία Jenensi p. 71.* in comitatu Mansfeldensi circa Schrapelau in arenofodinis, e quibus mihi ipsi aliquot specimina minimi moduli, candida, cylindracea ac elegantissime striis aut tuberculis ornata colligere licuit; in Thuringia circa Neilstädt & Langen-Salza, in Nebern Thal, it. zu Reila, *Langius P. I. 315.* Circa *παλεοκάμην* in monte Gulsbürg minorem quendam solertissimus agri Norici indagator *Bajerus* invenit, vid. ejus *'Ορυκτογραφίαν Nori-* *cam p. 44.* Neque Helvetia omnium fere naturalium rerum foecundissima regio, iisdem caret, sed *Joh. de Mur-* *alto*, Physicus Tigurinus ab aliquo jam tempore quædam Helvetiæ specimina in scenam produxit in *M. N. C.* *Dec. III. A. V & VI. p. 45.* & celeberrimus rerum naturalium Helveticarum Consignator *Joh. Jac. Wagnerus* in *M. N. C. Dec. II. A. VIII. p. 325.* rarissimum & vix alio in loco reperiundum exemplar, nempe Lapidem Judaicum ferreum seu in mineram martis mutatum ex spectatissimo Helvetiæ Lithophylacio, monte Legerio puta, apposuit, cujus transmutationis causas paulo inferius scrutabimur.

Occur-

Unable to display this page

vicinæ cernuntur, variis corallinis, entaliis lævibus ac stri-
 atis aliorumque conchiliorum fragmentis ad albedinem
 calcinatis foetæ & idem clarissimus *Luidius l. c.* compro-
 bant. Rarius, ad minimum apud nos, faxis aut lapidibus
 inhærentes sese offerunt, unicum tamen in monte Sulz-
 bürg durissimo saxo inclusum deprehendit eruditissimus *Ba-
 jerus vid. cit. Oryctograph. Noric. p. 44.* plura autem spe-
 cimina ex lapidicinis Angliæ eruta habet *Luidius l. c.* Mihi
 ipsi vero in nuperrimo itinere, quod tum lacum falsum
 Comitatus Mansfeldensis paulo accuratius visendi, tum
 alia naturalia & fossilia investigandi scopo suscepi, ea con-
 tigit fortuna secunda, ut pagum Stetten inter & Unter-
 Geeröblingen lapidem corneum pugni magnitudine in via
 iacentem malleo diffringerem, variasque in illo cavernu-
 las cernens ulterius seiungere tentarem, sperans, me vel
 asteriarum vel fragmentorum echinorum marinorum ve-
 stigia in hoc lapide haud infrequentia detecturum, quo
 facto, ecce obtulerunt se visui tres cavitates vacuæ, lapi-
 dum Judaicorum elegantissime impressas imagines cum tu-
 berculorum serie & petiolis exactissime referentes, qua de
 re tanto magis latatus sum, quo minus apud ullum Autho-
 rem tale quid adnotatum scirem, unicum si excipias *Bütt-
 nerum*, qui in *Coralliographia subterranea p. 46.* Lapidis
 cornei cum impressione Lapidis Judaici meminit & Tab V.
 fig. 20, iconem, sed minus distinctum vel ob speciminis
 ipsius obscuritatem, vel ob Chalcographi negligentiam, æ-
 re excussum dedit; qua re motus unam harum cavitatum
 in lapide integram servatam B. L. hic exhibeo fig. 1. Ali-
 um adhuc lapidem corneum lividum magis, magnitudine
 nucis juglandis servo, in quo eadem ac in hoc depicto La-
 pidis Judaici cum tuberculis & appendice cylindrico vesti-
 gia pari ferme magnitudine nitide expressa conspiciantur,
 hunc vero ex mœnibus Hallensibus, quæ fossam portas
 vulgo dictas das Stein und das Neumärktische Thor inter-
 cedentem cingunt, decerpsi. Dum hæc jam scripseram,
 Machaon nostri seculi, ILLUST. FRID. HOFFMANNVS sta-
 B riora

riora sua fossilia & petrefacta mihi lustrare benevole concessit, pro qua singulari benevolentia etiam hic publice gratissimam obtestor mentem. Quæ inter deprehendi lapidem talem corneum pugnum magnitudine æquantem ab utroque latere talismodi lapidum Judaicorum imaginibus pluribus ornatissimum & ob raritatem commendatione dignissimum, habuit hic comitem alium corneum paulo minorem, sed pretio & æstimatione priori non cedentem ex cuius parte angulosa ultra dimidium prominebat Echinites minor firmiter impactus ejusdem cum matrice substantiæ, magnitudine avellanæ majoris. Addendum adhuc, quod *Agricola Tract. de ortu & causis subterr. Lib. 4. p. 514.* Lapidum Judaicorum in commissuris marmorum generatorum & inventorum his verbis memoret: *In Commissuris præterea marmoris maculosi, aut ejusdem, quod in candido cinereum est, reperiuntur dactyli Idæi, lapides Judaici, Trochitæ & consimiles. Nam id genus marmor madefactum, stillat aqua, quo modo ex eo quod subsidet, tales lapides concrescunt. Quia vero marmora plerumque dura sunt, parumque ab iis ab radit aqua parvi lapides inde fiunt, qui persæpe extra commissuras, aquæ impetu protruduntur; quem generationis modum infra Cap. I. I. ad veritatis trutinam appendamus.*

§. VII.

Figura lapidis Judaici est varia.

Figura externa lapidis Judaici admodum variat, hinc Gesnerus l. c. p. 128. Boëtius de Bood & Joh. de Laët tres numerant species; primum minorem in suprema parte obtusiorē, ovi fere figura, reliquos tres maiores longioresve, cæteroquin tertius striatus a Gesnero cognominatur. Ferrandus Imperatus quatuor refert species; primus, qui glandi formis est, secundus ex plurimis componitur nodis, tertius columnam refert cum variis incisuris, quartus impressas habet stellulas, quem ideo stellas vocat Judaicas, Boëtius vero Astriam dicere maluit. Nos omnes quot quot collegimus varietates sequenti comprehendimus tabula.

Unable to display this page

*Cylindrici
& penta-
goni pro-
prie ad a-
sterias spe-
ctant; re-
liqui omnes
gaudent
petiolo.*

Ad præcedentem tabulam autem notandum, quos exhibui cylindricos & pentagonos stricte ad lapides Judaicos non pertinere, sed potius ex trochitarum, entochorum, & Asteriarum pentagonarum aut pentaëtinobolarum genere esse, de quibus videri potest eruditissimi Rosini Tract. absolutissimus de *Lithozois quondam marinis nunc fossilibus*: Interim tamen, cum semel hos lapides latius pertractandos sumserim, nemo mihi vitio vertet, me illos lapides reliquis ad latus posuisse, quos in materialium cameris junctos quoque inveni. Cæterum hi omnes in medio gaudent foraminulo vel pervio, vel limo aut arena repleto, pro mole majori aut minori, & sicuti commissuræ istæ transversæ articulationum vestigia sunt, ita crenaturæ, striæ, stellulæ, aut areolæ in extremitatibus conspicuæ nihil aliud sunt, quam lapidis exstantes particulæ, quibus rotulæ aut talcoli talem cylindrum efformantes sibi invicem inarticulantur. Nullus quidem dubito, quin plures aut diversos a meis quis reperturus sit, siquidem ego ipse plura specimina possideo, quæ ab illis, quæ depingi curavi, quodammodo differunt, sed impræsentiarum principaliora & frequentiora tantum selegi, ne nimis amplum ingrederer campum; de reliquo si cui forsan diversa in manus incidant, ille ex supra citato Tract. Clariss. Rosini cuique congruum genus assignare poterit. De balaniformibus adhuc monendum, omnes illorum varietates petiolo quodam, uti vocarunt Veteres, vel appendice cylindrico datatas esse, longitudinis tamen diversæ pro diversa specie, obtusiores enim quoad supremam partem & ventricosiores breviori niuntur petiolo, & contra: destituuntur autem quædam specimina hoc appendice non ideo, quasi ordine naturali ab ipsis abesse deberet, sed putandum, hunc fortuito injuria quadam externa avulsum esse, quoniam petiola etiam solitaria h. e. suis balanibus spoliata inveniuntur, quale videre est

re est fig. 10. Hoc petiolum si integrum fuerit, in parte a lapide averfa monstrat cingulum reliquo cylindro paulo eminentius & in extremo foveam habet impressam saepius limo aut lapide oblitteratam. Illi, quos cylindroides vocavi hanc ob rationem, quod nec balanum, nec cylindrum exacte representent, sed teretes & ex aliqua parte cylindrici spectentur, in parte inferiore eadem propemodum configuratione gaudent, quidam enim illorum manifesto tali petiolo superbiunt testante fig. 41. 42. reliqui vero exacto tali petiolo carentes, circulum tamen eminentiorem cum fovea inferius innata monstrant. Sciendum autem, non omnes, qui in tabula nostra delineati prostant, integros esse, sed quidam tantummodo fragmenta sunt, pro ut eadem reperire contigit, nihilo fecius B. L. de illorum figura ex reliquis speciminibus integris judicare poterit. Fragmentum istud fig. 15. delineatum ad lapides Judaicos referendum esse, interna illius structura persuadet & plura exemplaria ejusdem figurae inter lapides Judaicos officinales reperi, quod autem aliam quam praesentem in statu integritatis figuram agnovit, ablata ab utraque parte fragmenta credere jubent; an forte ex illorum specie, quorum unum fig. 16. delineavi?

§. IX.

Formam internam horum lapidum sive substantiam constituit materia politissima, resplendens, nec tamen pellucida, nisi in tenuissimas lamellas fissa, oblique ut plurimum frangens & semper rhombos aut paralelogrammata mox rectangula, mox obliquangula efficiens, uno verbo selenites. Selenites vero stricte dicitur glacies Mariae ἀπὸ τῆς σελήνης, sive quod noctu tantum ad incrementum lunae aut luna plena existente inveniri creditus fuerit, sive quod omnes lunae phases indies mutatas aequae ac ipsa luna repraesentet; sed quis quæso est hodiernum, qui nesciat, integros montes ex tali selenite congestos meridiana quo-

*Lapidum
Judaico-
rum sub-
stantia est
selenitica.*

que luce reperiri, illasque cornuum lunæ repræsentationes a sola radiorum lunarium reflexione, minime vero a sympathia quadam aut occulta qualitate proficisci? vide hac de re *Gesnerum de lapidum fig. fol. 45. seqq.* ubi plures de lapidis huius incremento & decremento cum luna ut & reliquis ejus mirabilibus qualitatibus excogitatas invenies fabulas. Sensu latiori autem ex selenite constare dicuntur omnia corpora, quæ extali materia resplendente fissili concreta occurrunt, quo referri merentur inter alia Lapis Bononiensis lucifer, Spada, Stetlæ marinæ petrefactæ, Asteriarum omnes varietates & ipse noster lapis Judaicus, quamvis horum omnium materia non adeo facile in lamellas latioris ambitus scindatur pauloque aridior, quam ipse lapis specularis deprehendatur. Interim in nostris lapidibus tum figuræ externæ pulchritudo, tum selenitæ lævor ac candor pro solo natali differre videntur, ea enim specimina quæ ex fabuletis prodeunt, semper externo adspectu pulciores ac selenite candidiores advertuntur iis, quæ ex terra limosa rufa aut flava eruuntur, utpote quorum striæ & tubercula frequentius terra limosa oblitterantur & selenites sæpius subfusco aut piceo colore tingitur. Cavitates interius observare potui nullas, perplures quamvis fregerim, si excipias primo, exemplar istud læve cum foraminulo pervio & seta intrusa fig. 2. exhibitum; est mihi minor adhuc huius varietas itidem foraminulo pertusa, ut & fragmentum majoris ejusdem speciei, in quo amplius foramen hiat, adeo ut pennam scriptoriam fere recipiat; secundo, quod in cylindroideis quibusdam foraminulum unicum vel plura quasi medullaria viderim; tertio quod in istis fig. 25. & 37. exhibitis fragmentis cavitates irregulares limo repletas observaverim, dubius interim hærens, num naturales sint, num vero tempestatum injuria excusæ lacunæ?

CAPUT II.

De

Lapidum generatione in genere & figuratorum in specie.

§. I.

Priusquam ad originis lapidum Judaicorum demonstrationem me accingam, necessarium duxi pauca de lapidum origine in genere & figuratorum in specie præfari. Nolo quidem hic loci omnes de *Λιθογενείῃ* in medium prolatas hypotheses vix ac ne vix quidem certo numero includendas in scenam producere, examinare, emendare, refutare, quod limites dissertationis paucarum plagularum paginis includendæ multis parafangis excederet: sed placuit solummodo meam de re tam obstrusa profiteri sententiam, quousque mihi Philosophiæ naturalis vestibulum vix ingresso, ratiociniis pertingere datum fuit. Ut autem *Λιθογενείας* res tanti momenti sit, quæ multorum clarissimorumque Virorum acutissima ingenia mirum in modum distorquens, nonnullorum meditationes plane illuserit & tandem haud paucis præter vanas speculationes nihil reliquerit, istam simplicissimo modo explicandam esse censerem, absque ullius principii activi falso suppositi, & vulgo naturæ struentis, Lithogenericæ, metallolithogenericæ, archæi, spiritus mundi, semini, facultatis plasticæ, spiritus gorgonici, spiritus aut fluidi lapidifici &c speciosos titulos ferentis auxilio. Solent equidem prædicta principia ab eorum Patronis multis verborum ambagibus depredicari & novis subinde terminis fescuipedalibus, re ipsa, quam dilucidare deberent, obscurioribus proponi, ast ad rectæ rationis stateram si quis revocare velit paulo accuratius ma-

Connexio.
In lithogeneriæ non oportet principii struentis.

gni

Unable to display this page

di ipsius status fluiditatis aboletur, quando facta fluidi subtilioris expulsionem omnes particulæ pro diversa earum figura sibi invicem ita coaptantur, ut fluidum quod antea fuit, esse desinat lapidemque referat; vel denique corpus alias jam solidum porosum tamen & tali soliditatis gradu, qualis lapidum est, nondum præditum lapideam acquirit soliditatem ac indolem, quando fluidum quoddam istiusmodi corporis poros intime intrans & per illos circulans sensim particulas quasdam deponit, quæ poros opplendo fibræ antea flexilibus & mollibus rigorem & hoc modo toti corpori majorem soliditatem ac duritiem inducunt.

§. III.

Primo igitur quem posui modo ortos credo omnes lapides calcareos, saxa dura ac rudia arenosa, marmora, lapides fibiles varii generis &c. tum mox a prima creatione post secessionem fluidi a solido, tum post diram istam terræ devastationem per Cataclysmam universalem, ubi totius terræ non modo superficies, sed & intimior portio disrupta, disturbata ac sævientibus undis intime mixta fuit, quæ posteaquam iterum resedit, & ex fluido denuo separata fuit, variis in locis facta sensim fluidi adhuc permixti exclusionem, tam arcte coacta atque conglutinata est, ut pro varia sui miscela in lapidum genera diversissima abierit. Tali quoque modo hodie adhuc oriuntur varii Lapidem ex terris limosis aut arenosis olim jam ex fluido præcipitatis, nostrisque demum temporibus soliditatem saxeam acquirantibus; nec non varia genera stalactitis ac trophorum vel in cryptis subterraneis obvia vel parietibus aqua ductuum adhærentia, quod vel unicus thermarum Carolinarum lapis ad oculum demonstrare valet, qui quandoque tanta duritie est, ut polituram admittat alabastrum instar, elegantissime conspicuis sensim factæ adpositionis signis per strias variorum colorum. Ejusmodi aquæ enim, quales Carolinæ sunt, sicuti in rapidissimo motu constitutæ existunt, ita ductus subterraneos pererrantes varias particulas

Primo modo quoniam resultent lapides, demonstratur.

culas salino-terreas secum abripiunt sibique affociant, quas cessante quadantenus motus vehementia, iterum ex sinu suo dimittunt & ad aquæ ductuum latera ablegant. Hunc ut & reliquos lapidum generationis modos adjuvat maxime atque faciliat interventus materiæ cujusdam mucidæ, utpote aptissimæ, quæ terrarum aut arenularum particulas colligat atque cohærere faciat quam firmissimæ, idem præstando quod calx in exstructione muri; hæc enim materia mucida nihil aliud est quam terræ subtilioris portio cum particulis salinis interventu paucioris fluidi combinata, quæ propter sal admixtum, quod rigiditatem ac soliditatem omnibus inducit corporibus, subactō omni fluido, tanto firmior evadit, quanto arctior & aptior particularum minimarum nexus. Hæc materia mucida autem vel antea jam sub prima terrarum residentia ipsis fuit intermixta, vel per fluida earum poros pervagantia advehitur ibique deponitur; id quod ipsum fluidum aqueum quandoque præstat, quod intimos terrarum porulos ingressum separato fluido æthereo, crystallulos efformat reliquas terræ particulas firmissime connectentes.

§. IV.

*Altero
modo resul-
tant lapi-
des diapha-
ni.*

Altero modo resultant potillimum lapides splendentes diaphani aut ad diaphaneitatem proxime accedentes, cujus generis sunt crystalli, fluores crystallini, reliquique pretiosi lapides omnes, qui pro diversa fluidi, cui ortum debent, puritate ac particularū metallicarū admixtione magis vel minus splendentes, diaphani & coloris vel mere crystallini, vel rubicundi, viridis, aut alius cujuscunque evadunt. Hos lapides tali modo ex fluido aqueo procedere, vel illud, quod corporis includentis figuras assumant, vel ipsa illorum diaphaneitas ac durities variæque in illis reperiundæ res alienæ testimonio esse possunt; Diaphaneitas enim & durities maxime particularum constitutivarum subtilitatem, homogeneitatem & concinnum positionis ordinem, sicut res alienæ in ipsis obviæ certissime statum antea fluidum attestantur;

tur: Sic recordor, inter EXCELLENTISS. PRÆSIDIS, Evergetæ nunquam satis colendi, rariora extare cryсталlos ex montibus Bristollensibus Angliæ in quibus pilorum ramenta ad intimam substantiam penetrantia & incrustata spectantur; ego ipse vero possideo frustum cryсталli montanæ, nescio quo loco natum, quod straminis stipites, puncta nigra aliasque quisquilias includit: & *Barth. Krugerus in Genealogia calculorum Macrocrosimi & Microcrosimi p. 16.* refert: se in museo Marci Antonii Sabbatini vidisse inter alia Onychem pellucidum & diaphanum habentem corpus cum nonnullis arborum folliculis in medio insertis, it: cryсталlos montanas extraneis corporibus, pro ut sunt guttæ aquarum, lapilli, grana argenti, corpuscula flavi coloris & similia, foetas. Gemmarum autem colores a particulis metallicis proficisci, inde constat, quod ignis tortura omnis color expelli, vaporibus mineralibus vero colores vel exaltari vel conciliari possint; Saphiri siquidem ustulatæ Adamantibus parum cedunt, & Chymici vitra & cryсталlos solis mineralibus vaporibus elegantissimis Rubini, Topasii, Opali coloribus imbuunt. vid. *Kunkelii artem vitrariam* it: *Nerum de arte vitr. c. 32. seqq. 60. seqq. & 74.* Præterea Granatus non aliam ob rationem Magneti obtemperat, quam quod multum de marte participet. Tertio tandem modo incrustari ac in lapideam substantiam converti videmus varia corpora antea jam solida e. g. ligna, coria, ossa, conchilia, plantas, quæ præter formam externam nihil a priori substantia communiter retinent, uti hoc videmus in variis Lithoxylis, Lithophytis, ossibus & conchiliis petrefactis.

*Tertio modo
fiunt lapides
des figurati.*

§. V.

Exposita itaque nostra sententia de lapidum generatione ingenere, nunc quoque pauca de lapidum figura in specie prælibare non abs re erit, quam commodissime dividimus in irregularem, regularem mathematicam, & regularem animalia vel integra, vel quoad partes saltem

*Lapidum figure tria-
riam dividuntur, ad primam
vel classem quæ*

pertineant, recensentur. vel ligna, vel plantas, vel alias res exacte exprimentem. Ad primam classem jure meritoque referimus quoque omnes vulgo sic vocatos lusus naturæ vere tales, (venia sit verbo, fanioe enim sensu accipimus pro figura fortuito in quovis lapide orta) quos Clariss. Büttnerus melius lusus phantasiæ appellat, quales sunt dendritæ, herbas, muscos, sylvas, montes, aquas undulantes, regiones, stellas, cometas, aliasque varias res haud exacte, sed pro imaginationis phantasia perspectivo quasi modo repræsentantes, quo etiam spectant marmora ex mero macularum concursu fortuito ædificiorum rudera, nubes, civitates &c. producentia, it. lapides cum imaginibus beatæ Virginis Salvatorem in ulnis tenentis, Papæ tricoronati, Lutheri, Apollinis cum novem Musis &c. quorum longum catalogum habet Brunnerus in dissert. de fig. variarum rerum in lapidibus & speciatim fossil. Mansfeld. His commodissime ad numerari quoque possunt lapides illi Bajeri in Oryct. Nor. recensiti, prunos, pyra moschatellina, Mala persica, aliosque fructus lapideos mentientes, it. Wolfarti filex olivam repræsentans in Hassia subterr. T. I. Schüttei in *Ὀρυκτογραφία* Jenensi, lapis pedis humani amputati facie & Helwingii lapides anthropomorphi Prussici. Horum omnium autem figuras a fato quodam fortuito dependere, quis quæso non videt? vel enim ab externis circumpositis corporibus ita modificantur, ut talem, quam referunt, figuram nanciscantur; vel fluidum quoddam eorum porulos irregulari modo perreptans quasdam particulas peregrino colore imbuat, ut sic fortuito quædam figuræ resultent, quas deinde imaginatio pro varia idea, quam sibi de re substrata format, specificat & huic vel illi rei similes pronunciat; hinc fit ut sæpius quis talem umbram huic vel illi rei simillimam putet, quam tamen alius aliis oculis cernens in multis diversam deprehendit: deficit enim utcumque vel proportio partium ad totum, vel totius ad partes. Unde subtilitatum Magister Scaliger Exercit.

cit. 117. Cardanum, qui figuram in Achate Regis Pyrrhi casu factam negabat, refutans, rudes eiusmodi imaginum delineationes casu, denominationes vero hominum arbitrio fieri affirmat, dicens: *maculas in lapidibus multas conspeximus, quibus vidi potentiores pro suo supercilio varia imponere nomina.* De dendritis eorumque genesi perbelle admodum & sufficienter egit laudatissimus I. I. Scheuchzerus in *Diff. epist. de Dendritis ad D. D. M. F. Lochnerum*, quæ extat in *Eph. N. C. Dec. III. A. V. & VI. Appendice.*

§. VI.

Alteram classem, figura nempe regulari mathematico-geometrica gaudentes lapides constituunt potissimum *Lapides figurati secundæ classis.* crysalli eique congeneres lapides pretiosi, fluores, pyritæ &c. qui communiter figuram tessellatam, rhomboideam, cubicam, sphaericam, hemisphaericam, pyramidalem, hexangularem, octoædrum aut polyædrum monstrant. Causas harum figurarum determinare velle difficillimum fane est, & quævis de hac re in medium prolata hypothesis suis premitur difficultatibus, a sola enim ambientium pressione tales figuras fieri, plane non sufficit; naturam autem lithogeneticam, aut aliud principium activum, archæum vel seminium accusare velle, in tali re intimiore scrutinio dignissima, ἀφιλόσοφον esset. Et licet lites in hac re agitatae nec meas faciam, nec dirimere suscipiam, ii tamen non plane a scopo aberrare mihi videntur, qui a salibus admixtis eorumque figuris istas deducere conantur figuras, quamvis sat intricata etiamnum sit hæc hypothesis & clariorem explanationem in hunc diem expectet.

§. VII.

Ultimam denique classem efficiunt omnes lapides *Lapides figurati tertiæ classis.* figuris suis animalia vel integra, vel quoad partes saltem, vel ligna, vel plantas exacte exprimentes, ita ut proportio partium ad totum & totius ad partes ubique adsit æque ac in rebus vere talibus. De harum formarum regula-

gularium ortu ac causis innumeræ propemodum prostant hypotheses, ita, ut optime huc quadret diæterium, quot capita, tot sensus. Nolo itaque hic loci omnium ventilatarum hypothesisum levitatem monstrare & proluxiore illarum refutatione chartas commaculare, quod partim mearum partium esse non censeo, partim ab aliis clarissimis & in hoc studiorum genere me tyrone multo versatioribus ad nauseam usque præstitum invenio: qua de re vide, *Woodwardi Specimen geographiæ physiciæ; Scheuchzeri Quærelas & vindicias piscium, Herbarium diluvianum &c.* imprimis vero *Clariss. Büttneri Rudera diluvii testes, Coralliographiam &c.* Cum autem nulla probabilior, nulla certior Neotericorum sententia inveniatur, ut pote quæ ad oculum ferme demonstrabilis existit, non possum non, quin huic etiam calculum meum addam. Hæc vero, quæ universalem fere gratiam iniit, talia corpora, quorum exactæ figuræ in lapidibus deprehenduntur, revera quondam animalia, ligna aut plantas fuisse & ab extra in terram delata ac petrefacta statuit. Hinc necessario requirit hæc hypothesis, quod lapides, in quibus talismodi animalium aut vegetabilium figuræ occurrunt, antea & quidem longo ab hinc tempore fuerint molles & immensa aquarum copia soluti, residentibus vero particulis crassioribus talibus simul corporibus permisti, quorum figuras nunc exhibent. Hoc autem commodius ulla occasione fieri non potuit, quam tempore universalis diluvii, quo aquarum furore anni spatium totus terrarum orbis devastatus, omnia diruta atque dislocata & ima supremis permista fuere. Possem quidem in re tam foecunda proluxior esse & per membra monstare, quomodo hæc miscela modis supra memoratis in lapides diversissimos & figuratos transierit, **ast cum** de hac materia non ex instituto, sed saltem **incidenter** egerim, præterea ista in supra citatorum **Authorum libris** sufficienter enucleata pro-
stet

stet, hæc *ὡς ἐν παρόδῳ* dicta sint, & vela contrahens, iterum ad lapidem Judaicum propero.

CAPUT III.

De

Lapidum Judaicorum ortu.

§. I.

Lapides Judaicos certa quadam regulari figura præditos, hinc primæ, quam constituimus classi, lapidibus videlicet casu quodam fortuito figuratis minime ad numerandos esse, illi facile patebit, qui adpositam tabulam aneam aliorumque figuras paulo curatius introspicere, vel plura horum lapidum specimina comparare voluerit, ubi non solum exactam proportionem partium ad totum & totius ad partes, verum etiam plures ut ovum ovo similes deprehendet, quæ notæ characteristicæ in illis casu factis semper desiderantur, & vix duo inter lapides fortuito figuratos in omnibus sibi invicem respondentes tantoque artificio fabrefacti inveniuntur. Quid quid etiam *Agricola*, loco superius Cap. I. §. 6. citato de horum lapidum generatione in marmorum commissuris ex aquarum stillicidio somniat, accuratissimus namque rerum naturalium *Myſta R. ſinus in Hæſtorie naturalis Prodr. mi. de Lithophytis & Lithozois quondam marinis, nunc fossilibus præſatione*, trochitarum causam faciens, sat prægnantibus demonstravit argumentis, nec vera marmora, sed lapides calcareos esse, quorum commissuras aut strata paralela & ipsam substantiam inhabitant talis modi lapides; nec saxum calcarium admodum solidum ad imbibendum humorem aptum esse, ut ex *Agricolæ* sententia aqua stillare valeat; porro istum *Agricolæ*

cola generationis modum nec argumentis evidentibus, nec ullo relatarum ab isto scriptore rerum physicarum testimonio nisi, & denique neque *Agricolam* neque quemcunque alium istud unquam demonstratum daturum, quod scilicet illa putativa solutio marmoris stillando sedimentumque dejiciendo corpuscula artificiosissime efficta & haud parum discrepantis substantiæ mere suo fortuito, nec ab ulla re externa internave directo casu componere potuerit: quæ argumenta omnia ac singula optimo jure de nostro quoque lapide valebunt, ulteriorique probatione non indigent. Sed refugiet forsan quis ad naturam lithogeneticam, hujusque operibus lusibusque adscribet nostrorum lapidum figurationem; ast in aurem huic dictum volumus, nos saniore philosophandi ratione fruantes fictum tale principium non admittere, talesque terminos qualitates occultas ex tumulo resuscitatas admodum redolere.

§. II.

Nec pertinent ad petrefacta regni vegetabilis.

Quum autem illorum figura mathematica non sit, necessario ad tertiam classem, nempe lapides ex submersione & petrefactione corporum certa quadam regulari figura superbientes pertinebunt. Hæc vero corpora submersa & petrefacta vel sunt ex regno animali, vel vegetabili; ex vegetabilibus nostros non esse lapides, prius demonstrandum erit, quam ad animale nos convertamus regnum. Fuere quidem olim & adhuc sunt quamplures, qui eosdem pro fructibus in lapidem conversis venditarunt, putantes, istos ob aliqualem speciminum quorundam cum olivis aut eorum nucleis convenientiam, olivas aut Olivarum nucleos esse petrificatos. Sed ut taceam, fructuum, tanquam corporum facile putrescibilium, petrefactionis historiam lubricis admodum stare fundamentis, quod Clariss. *Breynius in Epistola de Melonibus montis Carmel* abunde satis demonstravit, istud unicum saltem attingam, quod proportio olivas inter eorumque nucleos & hunc lapidem fere nulla sit; posito enim, quod fructus

etus Oleæ petrefactos dicam, nunquam vidi aut descriptum legi fructum Oleæ tuberculofum aut striatum, qui tamen, si in rerum natura vere talis existeret, tot accuratissimorum scriptorum oculos effugere haud potuisset: e contrario vero si eosdem pro nucleis horum fructuum habere vellem, istud impedimento est, quod nunquam olivarum nuclei tuberculosi, aut in parte suprema ita depressi, aut tantæ molis occurrant, ut ovum columbinum magnitudine æquent, quæ omnia lapidibus Judaicis familiarissima sunt; neque pediculi unquam fructuum nucleis, sed potius parti externæ carnosæ accrescunt, insuper fracti lapides Judaici ne nebulam fructus, aut nuclei cujusdam referunt. Denique & hoc attendendum erit, quod frequentissime in arenofodinis arenam grossiorem marinam largientibus & semper fere in consortio aliorum animalculorum marinorum eorumque partium v. g. conchiliorum, Entaliorum Trochitarum, Entrochorum asteriarumque inveniantur.

§. III.

Quæ cum ita fiat, melius ad animalia marina relegandi erunt, cum in animalibus terrestribus simile quid Anatomicorum & Physicorum solertia hucusque protrahitum non sit, & lithophyta marina hoc peculiare habeant, quod corallinam suam substantiam difficillime deponant, ut potius, ni in calcem abeant, ipsam quam tenacissime retineant, & inter omnes quot quot eorum hætenus vidi, ne unicum quidem observare potui, quod in seleniticam compagem transiisset, quod Phœnomenon in animalibus marinis v. g. stellis & Echinis marinis haud infrequens, sed perpetuæ quasi regulæ est. Objiceret autem forsan quis, dari omnino lithophyta marina ex materia selenitica conflata & probationis loco adduceret, quod *Helwingius in Lithographiæ Angerburgicæ P. II. p. 117. seqq.* non obstantibus aliorum Clariss. Virorum sententiis, trochitas & entrochos ad vegetabilia marina retulerit, hos

Sed pertinent ad animalia marina.

vero ex materia selenitica constare, nullo modo negari posse; sed respondeo: me totum argumentum concessurum, si modo Opponens prius demonstraverit, istud iure meritoque ab *Helwingio* factum esse, plura siquidem, imo validiora contra ipsius opinionem militant argumenta quam pro ea & omnia, quæ pro sua stant sententia solitarie partim ex lapide, quem habuit 24. librarum entrochis & coralliorum fragmentis ditissimo, partim vero ab externis quibusdam accedentibus Entrochis cum Coralliiis communibus desumfit, quæ impræsentiarum pace tamen plurimum reverendi Authoris paulo accuratius breviter tamen considerare licebit. Ad primum itaque quod attinet, lapidem puta 24. librarum, ramificationes corallinas ex entrochorum lateribus in longum horsum versus protensas, uti Author clariss. loquitur, exiisse, plane non credo, sed probabilius est, ramificationes istas corallinas residentibus istis quisquiliis undarum furore e loco natali disturbatis, fortuito entrochorum lateribus appositas & subsequente petrefactione firmitus agglutinatas esse, cur enim quæso Author ipse ramificationes illas non entrochorum, sed Coralliorum ramos dixit? forsan ideo, quoniam substantiam diversam, aut quia ramulos illos non ex trochitis sicuti entrochos constare vidit, sed eam ipsam ob rationem concludo, entrochos corpora esse toto coelo diversa a ramulis corallinis, ex solo enim situ ramulorum corallinorum juxta entrochos, hos ad corallia referre velle, absolum esset, & hoc Author ipse in aliorum scriptis improbavit p. 121. qui solum eam ob causam entrochos ad animalium classem spectare crediderunt, quod inter conchas petrefactas aliaque marina reperiantur. Concedo quidem, dari entrochos verrucosos, quos Clariss. *Rosinus* aculeatos dixit, imo quandoque ramosos, testantibus non minus avtopsia, quam viris in hac parte oculatissimis, & ego ipse quendam inter lap. Jud. inventum unico aculeo præditum fig. 23. exhibeo, sed inde non statim ad ramulos corallinos sive nondum perfecte prognatos sive abscissos concludendum

dum esse, quis quæso non videt? rarius enim obvenientes tales verrucæ vel pro præternaturalibus excrescentiis, vel in aliis speciminibus, ubi ordinem servant, pro naturalibus & peculiari animalis speciei propriis habendæ sunt. Fragilitas quoad exteriora, firmior vero consistentia quoad interiora & facilis transitus per calcinationem in calcem nil probant, cum plura dentur corpora & petrefacta iisdem proprietatibus gaudentia, quæ tamen eapropter Lithophytis nequaquam adnumerantur. Stellarum impressiones, strias in extremitatibus conspiciendas ut & foraminula partem mediam penetrantia quod concernit, hæc solius corallii notæ characteristicae non sunt, alias asterias quoque & stellulas & strias & foraminula pari modo monstrantes ad corallia quoque referre necessario deberemus, quod tamen ipse Author nondum ausus est, & supra jam cap. I. monstratum fuit, strias stellulasve præter apophyses, quibus trochitæ entrochum componentes sibi invicem inarticulantur, nihil esse, foramina vero centrum permeantia non medullæ corallinae, sed secundum *Rosinum* nervi moventis, aut ex nostra opinione potius spinalis medullæ quondam transcurrentis vestigia exhibent. Porro similitudo ista a celeberrimo *Rumphio* trochitam inter & articulum Stellæ cujusdam marinæ animadversa, quam Author quidem parvi facit, suum adhuc retinet valorem & maximi profecto est momenti, quum vero Clarissimus *Helwingius* de exacta convenientia dubium moveat, ipsi incumbet probatio contrarii, quæ sola ista excusatione non absolvitur, quod forsam de asteriis locutus sit, asteriæ enim & trochitæ non genere, sed saltem specie differre mihi videntur. Multitudo denique entrochorum & trochitarum *Helwingii* sententiæ non favent, uti quidem p. 120. l. c. putat, sed ipsa *Rumphii* observatio, qua 18840. articulos in unica observavit Stella, ipsum edocere potuisset, unde tanta horum lapidum copia inveniriatur. Ex quibus collectis, si vel nullæ aliæ in promptu essent

essent observationes, majori jure ipsissimis Authoris verbis p. 119. prolatis concludo, ex tota structura & effigiatione mechanica entrochi, ipsum non ad corallia, sed ad Lithozoa pertinere, evinci: dispositionem enim ad motum animale, ut verbis clariss. *Rosini* utar, tot processum acetabulorumque in articulis entrochorum eminentiis peculiaribus & his recipiendis idoneis cavitatibus representatorum insignis apparatus haud obscure indicat. Huic asserto ultimum tandem addidit robur, quod entrochi ipsis stellarum petrificatarum radiis contractis in modiolis adhuc adhærentes a *Rosino* & *Büttnero* deprehensi sint & nunc seculo curiosiore facto frequentius deprehendantur. Hæc vero omnia fusius & accuratius pertractata invenies in exasciato tractatu Clariss. *Rosini de Lithozois quondam marinis nunc fossilibus*, in quo trochitarum, entrochorum & Asteriarum genuinum animale originem validissimis argumentis vindicavit & quamcunque variationem ad propriam redegit classem, adeo, ut mari aquam in fundere videretur, qui plura addere vellet.

§. IV.

Entrochi & Asterie inter lapides Judaicos officinales quoque occurrunt.

Studiose paulo fusius hanc materiam pensitavi, ut tanto clarior horum lapidum ortus pateat, præcipue cum inter lapides Judaicos officinales non unum horum specimen sæpius admiratus non frustra quædam adpositæ tabulæ æneæ in sculpenda tradiderim, nec ego solus in officinis reperi, aliis quoque accidit Authoribus fide dignis. Memoravi supra *Ferrandum Imperatum in Hist. nat. l. 24. c. 22.* quatuor numerasse lap. Jud. species, ad quartam vero *Langius T. I. p. 318.* dicit: *habet igitur quarta species cognationem cum lapide trochites seu eutrachius*: (entrochus potius legi debet) sed ego, non tantum quartam speciem cognationem habere, verum tres ultimas *Imperati* species ipsissimos esse entrochos & asterias intrepide assero sicque iisdem animalibus stellis videlicet marinis ortum debere, plane confido, & pro nunc ad quam nam entro-

entrochorum vel asteriarum classem pertineant, quos ære excudi curavi, tantum significo. Sistit itaque se primo loco entrochus pollicem fere crassus, constans ex trochitis depressioribus æqualibus, quorum connexiones commissuras elegantissime crenatas efficiunt, in extremitatibus striæ integræ a foramine centrali ad extimam peripheriam excurrunt, fig. 19. Convenit hic cum entrocho e trochitis tenuioribus atque subtilissime striatis compacto *Rosini l. c. Tab VIII. n. 4.* hic admodum frequens est inter lapides Judaicos officin. & soepe ultra digiti longitudinem protensus. Hunc sequitur paulo tenuior constans itidem trochitis depressioribus & æqualibus, commissuris non crenatis, striis subtilissimis densissimisque non ad centrum pertingentibus, fig. 20. Hunc qui excipit commissuris gaudet æqualiter distantibus, lævibus & altiuscule insculptis, forsan est iste Imperati, quem ex pluribus nodis constare dixit, vid. fig. 21. fig. 22. est entrochus constans ex trochitis inæqualibus futuris subtilissime crenatis, ab utraque parte fractus. Fig. 23. sistit entrochum verrucosum aut aculeatum, unico aculeo præditum. Fig. 28. est entrochus minimus constans ex trochitis omnium tenuissimis, commissuris vix conspicuis in medio habens foraminulum. Fig. 29. est asteria annulum referens in medio pertusa, asteria vero fig. 30. notata accretiones successivas per lamellas ostendit. Figura 16. exhibeo asteriarum seriem pentagonam angulis prominentibus & obtusis, figuris pentaphylloideis, phyllis rectis insignitarum, & fig. 27. seriem asteriarum pentagonarum angulis acutis & stellulis ipsam substantiam penetrantibus, quæ sunt lapides Judaici Imperati siderum forma, de reliquo istam speciem fig. 26. Gesnerus sphragis asteros & Lachmundus in Oryctograph. Hildesia Encrinon & singulam ejus asteriam seorsim pentacrion dixere.

§. V.

De fragmentis cylindricis & pentagonis, quæ in- *Lapides Ju-*
ter lapides Judaicos reperi, eorumque ortu marino & ani- *daici non*

*pertinent
ad stellas
marinas.*

mali amplius non dubius, ad quænam proprie animalia isti balaniformes pertineant diu cogitavi, hæsitavi, & quidem primo stellis marinis quoque accensendos esse putavi, tum quod ex eodem selenite componantur, tum quod figura externa oblongo-rotunda & quodammodo ventricosa ad astropodia proxime accedant, tum quod appendices cylindricos caryophyllitis, stellarum basibus, non absimiles, judicarem, hinc in mentem venit, lapides Judaicos forsan stellarum polyactinobolarum minorum arctius contractos & petrificatos radios esse. Et licet sulci & tuberculorum series symbolum suum huc quoque conferre viderentur, tamen in hac sola externa aliquali convenientia minime acquievi, sed ulterius experiri volui, num reliqua etiam structura concordet, unde plus quam quinquaginta specimina frangens ne in unico quidem vel articulorum disjunctionem, vel commissurarum minimum vestigium, vel petioli perforationem observare potui, quæ tamen ad firmandam opinionem necessario adesse debuissent. Spe itaque mea defraudatus in aliam abii sententiam, quod uti spero nemo mihi vitio vertere poterit; si quidem in hoc studiorum genere minime obstinatum se gerere decet, & vir integerrimus, clariss. *Luidius* de se ipso fateri non erubescit, se sæpius sententiam in re tam ardua & abstrusa mutare coactum fuisse, lib. cit. dicens: *diuturna harum rerum contemplatio non aliud nobis, quam novam admirationis, dicam; an stuporis? occasionem præbuit adeo, ut hesternis innixam observatibus sententiam, hodiernis labefactatam sæpius fuerim expertus:* cui sententiæ neque reliqua Lithographorum cohors assensum denegavit.

§. VI.

Sed sunt radii echinorum marinarum.

Quum autem sub rigorosiore hoc huius lapidis examine simul advertissem, pediculum adnatum una eademque continua materia cum reliquo balano frui, & in omnibus omnium specierum exemplaribus illibatis foveam quandam

con-

Unable to display this page

Unable to display this page

tudine & glandulari effigie, qualem nullius haecenus descripti ostendunt echini aut stelæ spicula, ne quicquam reclamantibus? Dum hæc jam prælo committere vellem, en obtulit se occasio videndi Part. III. Historiæ Nat. Helveticæ Clariss. Scheuchzeri, ex qua comperio, hunc æque in hac Oryctograph. Helv. t. ut & Specim. Lithogr. Helv. ac Clariss. Carolum Nic. Langium in Hist. Nat. lapidum figuratorum Helveticæ Idea, libris, in nostra vicinia rarissimis, idem sentire, pluresque a nostris diversos sub titulo Radiolorum aut Aculeorum echinorum exhibere, quos L.B. ex citatis fontibus ipse haurire haud gravabitur, quum mihi ipsi ad manus non sint. Deinde Samuel Dale in mineralogia itidem conjecturam fecit, Lapides Judaicos spinulas quorundam echinorum marinarum petrificatas esse. Equidem Clariss. Rájrus in Oryct. Nor. p. 45. dubium movet contra istam Luidii assertionem, dicens; ceterum lapides Judaicos marinarum echinorum esse radios petrificatos affirmat quidem Luidius, nec sine omni probabilitate, quantum ad angustiores sive graciliores species, sed quomodo cum amplioribus ipsisque glandariis conciliari queat hæc hypothesis, non intelligo, tantæ enim crassitie, cum brevitate conjuncta, radios echinorum me nullibi vidisse recorder. Sed respondeo; si probabilitate haud caret, quod angustiores & graciliores fue. int quondam radii echinorum, sane itidem probabile, quod majores tales quoque extiterint, majus & minus enim non variat rem & differentia glandarios & graciliores intercedentes tantum sunt accidentales, & vel de diversa animalis magnitudine, vel ad minimum de differente specie solum testantur, ut taceam magnitudinem radiorum in uno eodemque animali ut plurimum variare, de quo diversæ magnitudinis colliculi luculentissimum præbent testimonium.

§. VIII.

Neque silentio hic obvolvendum, quod Illust. Rumphius ex insula Ambona spinas echinorum petrefactas ad
E cele-

2) à similitudine Rumphia-

norum digi- celeberr. Menzelium transmissit his verbis: *Octo lapidei*
torum lapi- digiti, qui sunt pedes echini cujusdam marini, qualem Ari-
deorum. stoteles Echinometram appellat; vid. Eph. N. C. D. c. II. A.
 3. p. 79. it. A. IX. p. 120. Lapidibus Judaicis enim adnu-
 merandos censeo hos digitos, quare binos ex Eph. N. C.
 in tabulam æneam transtuli fig. 17. 18. in parte in feriore,
 ubi echinorum colliculis adnati fuere & acetabulum &
 cingulum protuberans monstrant, sicut reliqui Judaicorum
 omnes & major cum isto fig. 16. delineato penitus fere
 concordat, nisi quod nostrum specimen superiore parte
 careat, dolendum autem, quod neque Rumphius, nec Men-
 zelius quidquam de horum digitorum substantia & mate-
 ria interna reliquerint. Digitos aut pedes Echinorum ideo
 dixit Rumphius, quod in superius citata descriptione Echi-
 norum demonstratum dederit, echinos iisdem ad inces-
 sum uti, & huc quoque collimant verba Plinii Hist. Nat.
 L. X. c. 31. l. 13. tali modo prolata: *Ex eodem genere sunt*
echini, quibus spinæ pro pedibus. Ingredi est his in orbem
volvi. Itaque detritis sæpe aculeis inveniuntur. Ex his E-
chinometræ appellantur, quarum spinæ longissimæ calices
minimi &c.

§. IX.

3) à confi-
 guratione
 mechanica.

Majorem quoque lucem meæ sententiæ affudit il-
 lud: Sumsi echinum orbicularem, quem cum spinis & re-
 liquis officulis integrum mihi misit Vir curiosissimus Dn.
 Gretserus, apud Wollfenbüttelenses Pharmacopœus ce-
 leberrimus, illumque paulo curatius intuens deprehendi,
 unicuique spinularum etiam minimæ suum esse acetabulum,
 in quibusdam vix nudorum oculorum acie attingendum,
 neque defecit in quavis spinula cingulum supra acetabulum
 prominens, luculentissimo testimonio, lapides Judaicos
 vel ob solam hanc configurationem mechanicam in petio-
 lorum extremitatibus occurrentem ad echinorum spinas
 referendos esse. Observavi simul, spinas colliculis adhuc
 insidentes propter ligamenti alligantis subtilitatem & ari-
 ditatem

ditatem in animalculo demortuo, levissimo attactu atteri, adeo ut vix possibile sit integrum cum spinis tale animalculum servare; unde patet ratio, cur echini semper fere spinis suis orbatī inveniantur, nec unquam cum spinis petrefacti, sed spinæ seorsim potius occurrant; si enim levissima manus attrectatione facile decidant, multo magis sævientium undarum vi avelli potuerunt: Hinc *Luidius l. c. p. 44.* *Echinos fossiles spinis vel setis instructos n. bis nondum invenire contigit, quamvis sexcenta ad minimum frustula & integros non paucos iisdem spoliatos.* In fœdinis tamen hisce, ubi echini vel fracti, vel integri occurrunt, dari etiam eorundem spinas, semper adnotavi, imo & non raro dentes aliaque officula. Unicum tamen Papillæ adhuc insidentem communicavit eruditiss. *Scheuchzerus in cit. Oryct. Helvetica.*

§. X.

Nec minus ad probandam nostram sententiam argumentum suppeditat Echinorum fossilium substantia selecta, folis echinis & his congeneribus stellis marinis propria; & licet in nostro climate rarius occurrant echini senilitici, frequentius autem apographa cernantur, in Anglia tamen sat copiose eosdem reperiri, testis est *Luidius l. c. p. 44.* dicens: *Echinorum fere omnium fossilium, nisi apographa tantum fuerint, (conchiliorum ea sunt penitus absumptorum impressa in quovis lapide vestigia) materia eadem est quæ lapidis Judaici, nempe candida, friabilis resplendens & pergameni instar politissima, unde ad hanc classem retulimus omnes lapides ejusmodi materia conflatos, &c.*

§. XI.

Neque labefactatum iri puto meam sententiam hac Objectione, a quodam aliter sentientium forsan in medium proferenda & a Clariss. *Bajero* loco superius citato tantisper indicata: *ejusmodi radios echinorum ex mari protrachos nunquam vel visis, vel depictos, aut descriptos*

rep riri ; sed respondendum ; non omne, quod nondum visum, nec depictum, nec descriptum est, ea propter non existere, ea namque animalium, præsertim marinarum pars, quæ depicta aut descripta prostat, minima est, & longe plura mehercule in vastissimi Oceani abdidissimis ingluviebus hofitantur, quorum frustra apud Zoographos percontaberis notitiam ; id vero partim a negligentia, qua præcedentibus seculis hæc scientia tractata fuit, partim ab ipsa animalium natura, qua visu se subtrahunt, dependet. Audiamus hac de re Excell. Dn. D. Günth. Christ. Schellhamerum sub finem descripti nis itineris ad insulas Maris Baltici ; quæ extat in Eph. N. C. Dec. III. A. IX. & X. p. 158. de historię naturalis defectibus ita loquentem : Hic non possum non conqueri de negligentia nostrorum hominum, qui tot avium maritarum genera cotidie spectantes, æque ac piscium nonnullorum parum alibi cognitorum, quorum tamen non dicam historiam, sed vel nomenclaturam nobis dare sæpius negligunt ; relatum mihi est, ultra 50. avium ejusmodi genera in insulis istis ad oceanum Germanicum deprehendi vix alicubi cognitarum, de quibus omnibus nihil nobis innotescit interim. Sed in promptu causa est ; ea vero duplex : una genius hujus populi, quo plerique opibus corradendis & refaciendæ plus, quam culturæ animi studere solent, aut bonis literis, quas multi odio & invidia potius prosequuntur & extinctas mallent atque ejectas ex suis urbibus, quam excultas altiusque evectas. Altera communis Germanie propemodum universæ, quod & Aristoteles d sunt Alexandris, qui excitatis ingeniis animum addant, & si qui inveniantur (qui pauci sunt) tanto negotio, quantum est animalium historia, pares, desint Alexandri, qui excitatis ingeniis animum addant & sumptus cæteraque suppeditent, præmiūque constituent laborum. Neque enim eam rem sine publicis Regiisque sumptibus digne aggrediaris, & pœnitet esse industrios, ubi virtus non alget modo, sed

sed ne laudatur quidem etiam : tantum abest , ut præmiis suis gaudeat.

§. XII.

Porro impedimento est , quo minus echinorum fere omnium radios in Zoographorum libris & iconibus accurate depictos atque descriptos inveniamus, quod, si etiam rariores species fundum & intimos æquoris recessus inhabitantes tempestatum forsan injuria fluctuumque vehementia e sedibus suis ad litora disturbentur, aculeis suis speciatim majoribus spoliati deprehendantur, id quod tanto frequentius contingit in iis, quibus natura majores ponderosioresve dedit radios, quorum auxilio, lapides arenasque amplectentes sese ab undarum furore præservare satagunt & tali modo tempestates prædicunt, notante *Plinio H. N. Lib. IX. c. 31.* his verbis : *tradunt scivitiæ maris præfagire eos correptisque operiri lapillis, mobilitatemq; pendere stabilientes nolunt volutati ne spinas atterere, quod ubi videre nautici statim pluribus anchoris navigia infrenant.* Perditis autem radiis commode incedere fluctuumque vehementiæ sese opponere nequeunt, sed horum furore abrepti nonnunquam in litora ejiciuntur.

§. XIII.

Cuinam vero specialissime echinorum speciei quævis lapidum Judaicorum species ortum debeat, id in tanta rerum caligine apodictice affirmare non audeo, tantum enim abest, ut omnes descriptæ prostant, ut potius Curiosorum solertia plures adhuc futuris temporibus in lucem protractura sit : quidquod dubium adhuc est, denturne species, quas videndi propter altissimam in mari sedem omnis spes deest ? Interim tamen quantum suspitione assequi possum, non unius speciei fuere radii, sed eorum omnium echinorum progenies censendi sunt, quibus colliculi & papillæ sunt majores. Huc itaque pertinebunt Ova sic dicta *Plinii anguina*, quæ petrefacta quidem

dem rarius, ex mari vero protracta & in Zoographorum tabulis depicta nondum occurrunt, pertinebunt autem procul dubio ad echinometras orbiculares, quod ex duobus minoribus speciminibus, quæ *Gesnerus lib. de fig. lap. p. 196.* sub titulo Scolopendrites exhibet, liquet. Majus & elegans Ovum anguinum Helveticum delineatum dedit *Joh. de Muralto in Ephem. N. C. Dec. III. A. V. & VI. p. 45.* Mediæ vero magnitudinis specimen per pulchrum aliquot ab hinc diebus videre mihi contigit inter ILLUSTRIS nostri FRID. HOFFMANNI cimelia selectissima & non sine peculiari mentis oblectatione intuenda, ex quibus, ob singularem hujus Viri favorem, ad urnam usque gratissimo recolendum animo, radios istos figura 41. 42. ut & illos compressos fig. 39. 40. quoque delineare benevole concessum fuit, qui posteriores luce meridiana clarius demonstrant, ipsos vel cavos quondam, vel saltem medullari porosa substantia repletos & pondere quodam insigni fractos & compressos fuisse. Porro huc refero Echinometras digitatas omnes, de quibus universa Zoographorum gens fatetur, spinas ipsis esse crassiores longioresve, & quum Rumphii digiti lapidei ad harum species quoque pertineant, non supervacaneum duxi B. L. echinometram ovalem ex communicatione Viri Clarissimi & experientissimi D. D. BROCKMANNI, Fautoris nunquam sine peculiari affectu memorandi, fig. 38. ob oculos ponere, rariores enim apud nos sunt, paucisque visæ. Nivei est candoris, & plusquam aliquot centenis papillis minoribus majoribusve obsitus, quas justo minores delineavit chalcographus, per punctula vero, foraminula, quæ pro nervulorum aut tendinum transitu in testa hiant vix numeranda exprimere voluit. Nec inconcinne locum hic invenient echinus esculentus Rumphii, cujus imaginem sub titulo histrix marinus communicavit *Valentini in Musei Museorum Tom. I. p. 500.* ut & ille, quem Diadema Turcarum vocat *Jac. Betiver in iconibus*

nibas & nominibus aquatiliū animalium Aboinæ Tab. VIII. f. 5. Venio tandem ad illum, qui merito primo memorandus fuisset loco, nempe ad echinum sic dictum Pelagium, de quo *Jonstonus in Hist. Nat. de exsang. aquat. p. 53.* hæc habet: *est tandem echinus minimus Pelagijs, spinis grandibus longis & præduris modo pene lapidis. Plerumque un Judeo Italis vocatur, quod perpetuo nigrescat & sordescat. Testam juglande majorem non promit, estque reliquis vividior, nam si in supinum ponas, mox suas spinas deprimit, & se in pronam partem convertit. Gignitur in alto gurgite. Procul dubio de eodem intelligendum est, quod Paulus Jovius de echino quodam reliquit, quem contra urinæ stillicidium commendat. Quippe, inquit, qui frigiditate maris præalti, in quo degunt, (sexaginta enim aut etiam amplius passuum gurgite oriuntur) ipsi quidem exigui sint, sed aculeos grandes durosque gerunt. Causa magnitudinis est, quod incrementum corporis in ipsos convertitur. Cum enim parum caloris obtineant, neque concoquere possint, multum ob eam rem habent excrementi: aculei autem & pili & reliqua generis ejusdem excremento nascuntur. Duri vero & rigidi pene lapidis constant propter frigus. Unde in propatulo est, majori forsan jure nostros lapides ab hoc animali, quod Italis un Judeo vocatur, Judaicos dici, quam a Judæa, ubi quandoque reperiuntur.*

§. XIV.

Quomodo autem aculei hi in loca mediterranea & sub terram venerint, is facile intelliget, qui sententiam nostram de lapidum figuratorum certa quædam animalcula, aut eorum partes exprimentium ortu superius prolatam oculo tantum fugitivo perlustrare dignatus est; ubi statim deprehendet, nos omnes illos diluvii universalis rudera ac testes esse, cum aliis Viris celeberrimis statuere: Nec est, quod hic loci pluribus & novis argumentis hanc veritatem probatum eam, cum res tantæ evidē-

Lapides Judaici in terram deveniunt per diluvium.

Unable to display this page

crescere, maximæ autem illarum magnitudine granorum ciceris albi gaudent; & mirandum sane, hunc lacum conchilia majora plane non fovere. Nunc quæso amplius cogitet, si tanta conchularum animalculis spoliatarum copia occurrat in litore tantum unius lacus, qui in comparatione ad immensum Oceanum reliquosque per terram sparsos hincinde lacus vix punctulum constituit, quantam non deprehensuri essemus, si vel hujus, vel aliorum lacuum fundus & profundissima loca oculis nostris aditum concederent, & omnino perspiciet, non impossibile esse, tantos æcervos per diluvium illud, fusque deque omnia vertens in locis mediterraneis coagmentatos fuisse. Neque nostrorum lapidum ortum dubium reddere poterit numerus sat magnus, quo in mediterraneis locis & montibus sæpius scatent, cum non modo tot echinorum in Oceano reperiantur species & individua, verum & quodvis animalculum radiorum copia abundet, quod ex *Bellonii* verbis abunde manifestatur, dicentis: *totid in promuscides habent echini, quot in testis forami ula pertusa apparent. Sunt enim ultra sex millia in quolibet.*

§. XV.

Unica adhuc moveri posset quæstio, quomodo nempe ex naturali suo statu in talem lapideam transierint substantiam lapides Judaici? verum cum supra jam mentem nostram de lapidificatione corporum, quantum perpagellarum angustiam licuit, explicaverimus, ista hic loci ruminari nolumus unus quisque enim facile, quæ supra dicta sunt, pro suo sapore hic quoque applicare poterit, id unicum tantum superaddimus, ad hunc transgressum in lapidem compactiorem se leniticum plurimum contribuisse & compagem radiorum antea jam satis firmam & duram instar lapidis, & ipsam aquam marinam falsam, qua imbuti ac irrorati fuere olim. Ferreum vero illum supra allegatum *Wagneri* tali ferme modo martialem

*Transitus
aculeorum
echinorum
in lapidem,
aut mine-
ram martis
examina-
tur.*

tialem induisse faciem, credibile est: abundant procul dubio in illo monte Legerio exhalationes & vapores martiales, qui corporum tempore universalis diluvii hic sepulcorum porulos subtilissimos pervagantes, sensim particulas martiales adponunt & tali modo tractu temporis totam illorum substantiam in martis mineram convertunt, præter formam externam nullo remanente signo, quod primarium horum corporum ortum attestari posset; id quod non solis lapidibus Judaicis, verum Ammonis cornubus, caryophyllitis, aliisque conchiliis variis quoque accidisse legimus. Et sic demonstrationi nostræ brevibus licet, justis tamen argumentis satisfactum esse putamus, concludentes, Lapidem Judaicum, prout in officinis prostant, nihil aliud esse, quam partim Echinorum marinorum aculeos vel radios, partim vero stellarum articulos petrefactos & in substantiam feleniticam mutatos, variæ magnitudinis & figuræ, in omnibus fere globi terraquei regionibus a diluvio universali relictos.

CAPVT IV.

DE

Viribus medicamentosis Lapidum Judaicorum.

§. I.

*Lapis Jud.
à Veteribus
pro medica-
mento diu-
retico & li-
thontripti-
co habetur.*

HActenus Physice, nunc Medice agendum erit, ubi enim definit Physicus, incipit Medicus. Superius jam in procemio monitum fuit, Veteres ingenti remediorum farragine delectatos oculis, que fidentes, omnes vel ex intimis terræ visceribus erutas (ut verbis Rosini Lentilii utar) quisquillas, dum modo non sint antea visæ, sed novitatis titulo, aut figuræ

αβγο-

Unable to display this page

Unable to display this page

rimento evinci possit, quomodo talem effectum comminutorium præstare possint, firmo interim adhuc stante talo, quod diuretica motuum excitatione in ureteribus & vesica ad calculi & sabuli non comminutionem, sed exclusionem faciant. Fabulæ enim sunt, quæ vulgo hac de re narrantur, ex quibus unam in sipidam satis & ridiculam in Patria quondam audiui, in vulgo satis notam & frequentem, talis momenti; Fuisse Medicum quendam, qui habuerit orbem, ex quo cibos comederet, e calculo humano tornatum, hunc, quocunque proficisceretur, orbem secum vehi solitum esse; quum autem tempore quodam apud ruricolam quendam hospitari coactus, crustum, quod cibi genus est, hedera terrestri conditum, ex hoc orbe comedere vellet, colliquatum fuisse calculum, unde collegerit, hederam terrestrem egregium esse lithontripticon: egregium sane hoc mendacium & ne granum salis habens anile commentum, quis quæso non videt? Et licet calculi extra corpus, quamvis non hedera terrestri, sed spiritibus acidis solvantur, ab his tamen ad calculos in renibus aut vesica hærentes conclusio fieri nequit, siquidem remedia in substantia eo non pertingunt, nec spiritus acidi sine reliqui corporis detrimento in copia assumi possunt.

§. IV.

His itaque de diureticis & lithontripticis præmissis; ad lapidem nostrum revertimus, ipsiusque principia sensibus æque ac chymicis experimentis eruere conabimur. Sensibus tentatus nec integer, nec tritus ullum odorem spirat, pulverisatus vero gaudet sapore terreo sub adstringente, unde patet terram reliqua principia, tam fixa, quam volatilia quantitate præcedere, illaque altius terræ involuta hære. Cum affuso aceto vini cum strepitu effervesceat, & aceto edulcorato aliqualem nigrorem atque saporem adstringentem stypticum conciliat: cum spiritibus acidis v. g. nitri, salis, aqua forte mixtus fortiter & per notabile

*Lapid. Jud.
principia
experimentis
evolvuntur.*

tempus effervescit, adeo, ut fumus prodeat acidus, ex parte solvitur & relicta terra subtiliori spirituum spiculas obtundit, testimonio, portioni terre multum inesse salis fixi alcalini. His nondum contentus sumsi uncias tres lapidis pulverisati & per retortam ex igne apperto destillavi, & ecce prodiit vix drachmæ pars dimidia spiritus flavescentis, saporis tantillum salini, odoris fortiter empyreumatici, pene ut spiritus C. C. aut alius animalis ex igne apperto destillatus; quod Phænomenon evidentiissimum quoque de ortu hujus lapidis animali testimonium perhibet, tale quid enim animalium partibus, non vero mineralibus familiare esse, quis quæso Chymicorum nescit? Præterea in superiori parte colli retortæ adhæsit paucissima materia subtilis albicans, odoris empyreumatici, saporis salini, quasi Sal Volatile. Spiritus, qui prodiit cum aquaforti per momentum lenissime conflictans colorem dilutum, in paulo saturationem & ad rubedinem inclinantem immutavit, parum enim salis alcalini inerat: Caput mortuum vero gryseum cum eadem aqua forti acerrimum iniit conflictum, cum strepitu & expiratione fumi acidi ad vitri in calescentiam usque perdurantem. Ex quibus collectim sumtis videmus, lapides Judaicos plurimum habere terre, multum salis fixi alcalini, paucum aquæ, paucissimum salis volatilis; Olei vero in tam parca quantitate nullum observare potui vestigium.

§. V.

*Lap. Jud.
potius est
absorbens,
quam diu-
reticum po-
sitivum.*

Ex his igitur principiis colligere licet, non quidem omnem lapidibus Judaicis vim medicamentosam denegari posse, melius vero ipsos ob terram alcalinam inter absorbentia locari, quam diuretica positiva; licet suo tempore & in defectu meliorum propter sal alcalinum fixum, quod copiosius recondunt, diuretico quoque scopo adhiberi possint. *Omnia enim opera Domini sunt bona & quodlibet eorum suo tempore prodest, ut*

vanum

*vanum sit dicere: non omnia sunt bona. Nam unum quod-
que suo tempore est utilissimum. Syrach. 40. v. 39. 40.*
Quod autem aliis virtutem diureticam satis notabilem
præstiterint, illud ex eo factum esse puto, quod cum aliis
salinis & diureticis misceri ac propinari consueverint;
hinc in aquis appropriatis diureticis exhibendos, aut in-
fantibus cum sacharo cantho prius mistos porrigendos
commendant, aut cum aliis diureticis lapidibus in spiri-
tu salis solvunt & solutione in spissata, in coagulum redu-
cunt, quod in loco frigido expositum & in liquorem re-
petitis vicibus solutum, tanquam egregium nephriticum
extollunt: hunc vero effectum diureticum non lapidi-
bus Judaicis, sed potissimum particulis salinis spiritus a-
cidi & reliquorum diureticorum admixtorum adscriben-
dum esse, in aprico est, & vix comprehendere possum,
quo jure Scriptorum quidam eo devenerint, ut tantam
huic lapidi vim diureticam tribuerint, quæ cautam &
circumspectam ejus exhibitionem suadeat. Præterea in-
greditur famosum Michaëlis liquorem & Unguentum
nephriticum & teste *Langio P. I. p. 315. ex oleo myrtino
illitus pulvis hujus lapidis podagricis resistere doloribus
creditur; nec sine omni ratione, constat enim unguino-
sa cum alcalinis & camphoratis mixta podagricorum do-
lores admodum sublevare. Quod vero tritus cum aqua
ad glutinis consistentiam subactus & regioni pubis abra-
sis prius pilis applicatus calculum solvat & educat, fabu-
lam redolet & principiis Physicis contradicit.*

§. VI.

Trochitæ, entrochi, asteriæ & reliqui Stellarum fos-
silium articuli selenitici omnes eandem plane virtutem
cum lap. Jud. habent, quod inde clarum est, quod non
modo haud raro inter lapides Judaicos officinales occur-
rant & a quibusdam ad illos referantur, sed etiam quod
sub chymico examine eadem principia, eademque phœ-
nomena monstrent. Unde *Lachmundus in Oryct. Hilde-
sia*

*Trochita,
entrochi &
asteriæ ea-
dem, qua
lap. Jud.
præstant.*

sia p. 51. dicit : *Trochites calculum frangit, difficultati urinæ prodest* & p. 57. de Encrino, sub quo nomine Asterias pentagonas & pentaphylloideas intelligit, cum *Agricola* idem affirmat his verbis : *Sed ejus pentacrinis fractis est lapidis Judaici color, levor, splendor. Quare obtinet eandem vim medendi.* Quæ cum ita sint, patet quidem, hos lapides omnes virtute quadam medicamentosa non penitus destitui, inde tamen nondum sequitur, eosdem ea propter in officinis pharmaceuticis servandos esse, unum quodque enim suo tempore prodest, in defectu puta melioris; quum autem efficaciorum tam absorbentium, quam diureticorum cumulus in Pharmacothecis haud deficiat, melius ex horum consortio ad Curiosorum Musea & scrinia relegantur. Quibus succincte licet, juste tamen hanc tractationem absolutam censemus, Benev. Lect. monentes, rogantesque, quod, si forsitan quædam pro materiæ dignitate nondum exhausta inveniat, ea nostræ in hoc studio infantiae adscribat, cogitetque in Tyrone nec voluntatem damnamdam esse: sanctissime interim promittimus, nos futuris temporibus, si Deus vitam & vires, Lector vero favorem concesserint, ea, quæ hisce paginis omissa aut nondum satis enodata sunt, omni studio suppleturos & ulterioribus observationibus dilucidaturos fore. Deum autem T. O. M. nunc pro benignissime suppeditatis ad hunc laborem viribus gratias persolvimus, quas possumus maximas, supplices orantes, velit & impofterum nostris adesse conaminibus Physicis & Medico-practicis, quo omnia vergant in magni sui nominis honorem & gloriam tanquam nostrum propositum

F I N E M.

PRAECLARISSIMO, ET PEREXI-
MIE DOCTO
DNO. CANDIDATO

S. D. P.

PRÆSES.


Quam ex vero veræ Physices studio emolu-
mentum accrescat studio medico, illi opti-
me cognitum habere possunt, qui intelli-
gunt, verum artis medicæ studium non nisi
physicum esse. Naturam enim sive *Φύσιν*
rimatur Medicus in ipso Homine, & quidem non demor-
tuo, sed vivo: eamque ob rationem contemplatur non
modo partes ipsius essentielles ex quibus componitur, quas
duplicis generis deprehendit, unam nempe spiritualem,
Animam puta ratione præditam, alteram corpoream &
materiam, Corpus mechanismo artificiosissimo variorum
organorum inter se cohærens: quorum mutuas operatio-
nes reciproce conspirantes in suos convertit usus. Verum
cum corpus ipsi immediate præ manibus existat seque pro-
ximius indagandum sistat, in hujus potissimum Naturam
propius introspicere conatur, ejusque texturam, structu-
ram, & usum anatomicis inquirat sectionibus, siquidem
mixtionem ipsius per studium physicum strictiore nomine
sumtum evolvit, eamque corruptioni innumeris quasi
modis expositam deprehendit. Cujus corruptionis cau-
sas

sas, cum partim in ipso corpore, partim in rebus corpus
ambientibus hærentes agnoscat, studiose harum quoque
rerum naturam percontatur, ut ex principiis naturalibus,
quantum fieri potest, modum agendi in corpus clariorem
reddat & magis perfectum. Et cum sanitatem hominis,
vel conservandam, vel restaurandam primario curæ cordi-
que habere debeat, merito sane earum quoque rerum ac
corporum indolem atque naturam explorat, quibus cau-
sas morbificas vel avertere, vel remove potest. Hæ
autem cum aliæ ferme non sint, nisi alimenta & medica-
menta, horum quoque naturam perfectam habeat necesse
est; præcipue medicamentorum, quorum tanta farragine
obruuntur ab omni ævo Pharmacopœæ, ut difficilis ad-
modum sit Medico verus selectus, sub tanto de viribus
illorum eneomiorum cumulo, nisi ex principiis phÿsicis
& chÿmicis ipse illorum vires, ad minimum probabiliter
indagare didicerit. Hoc optime mente perpendens, PRAE-
CLARISSIME DNE. CANDIDATE, laudabilem sane suscepisti
laborem, in exploratione phÿsica & medica Remedii cu-
jusdam a multis retro temporibus pro excellenti liti-
n-
triptico habiti, quem proprio Marte ita perfecisti, ut in-
genii tui vires sat abundanter orbi erudito monstraveris-
nec minus meum, quam aliorum cordatiorum calculum
promerueris. Id quod tanto promptius tantoque melius
absolvisti, quanto majori studio bonis literis incubuisti,
iisque imbutus ad nostram florentissimam accessisti Fride-
ricianam. Haud enim leviter studio Philosophiæ im-
butus, Artis Machaoniæ penetralia aggressus, ultra tri-
ennium tanto fervore tempus in studio medico totus tri-
visti, ut laborum tuorum justissime promerita præmia
nunc messe uberrima capere possis. Nec defuit studiorum
soler-

Unable to display this page

Die edle Medicin, die Er so wohl verstehet,
Soll seyn sein Capital und wahrer Weisen Stein,
Die täglich Zinsen trägt, beglücket und erhöhet,
Daß meinen Wagner fröhnt ein steter Sonnenschein.

J. R. BROCKMANN, M. D.



Qui studiosa premunt musarum castra, viasque
Pieridum quærunt accelerante pede.
Sanctior hos certe semper sibi copula iunxit:
Musa suos gnatos dissociare nequit.
Gratus amicitiae mihi TE quoque nexus habenis
Dulcibus adnectit, firmat eumque fides.
Adstringit TIBI me, mihi TE mage musa Galeni,
Quæ TIBI, sunt eadem coepta statuta mihi.
Hinc cum iam videam viridi Tua tempora cincta
Palmitibus, quo gnatos cingit Apollo suos:
Non possum lætis quin gaudia plausibus addam,
Gratuler atque TIBI, votaue sacra feram.
Sint TIBI felices, qui TE comitantur honores,
Et TVA coepta beet prosperitate Deus!

*Hanc amicitiae ac gratulationis tesseram
CL. Candidato ad Doctoris gradum
tendenti ponit*

C. S. FINGER, M. D.

Errores typographicos sequentes & qui forsan alii ob multa Aus-
toris negotia, irrepsere L. B. ut cimentare velit, humanissime rogatur.
In Dedicat. p. 1. l. 16. leg. elucescit, p. 5. l. 5. quorundam, p. 4. l.
21. expetere.

Pagina 2. l. 6. externo, p. 5. l. 13. denotat, p. 8. l. 31. leg. adhæ-
rentes, p. 10. l. 20. abradit, l. 24. admodum, p. 12. l. 27. doctas p. 13. l.
14. prout, p. 14. l. 11. Stellæ, p. 17. l. 28. aquæductuum, p. 19. l. 13. coloris,
p. 21. l. 23. sus- & l. 24. cipiam, p. 27. l. 28. forsan, p. 28. l. 19. infundere,

❧❧❧ (0) ❧❧❧

